

## EPIGRAMMATA

*E gallico sermone à viro canadensi in latinum conversa.*

*Tres in cauponā potabant Martis alumni ;  
Cum rixā strepitus non mediocris erat.  
Cum vino fr̄agor augescit : puer hospitis intrat,  
Exigit impensas ; ense petitus obit. . .  
Oh ! puer est ! periit ! sors aspera ! . . . Pereitus irā  
Miles, cur, hospes, vociferaris, ait ?  
Nil perdes ; damnum hoc addatur sumptibus. . . ohe !  
Chartæ inscribantur tina, lagena, puer.*

*E tardo elicias nova ut argumenta cerebro,  
Hortensi, frontem sollicitare soles :  
Sed frustra pulsas frontem, appellasque cerebrum ;  
Namque tuum caput est non habitata domus.*

*Passus erat morsum à deformi Aurelius angue :  
Ecquid mirificum contigit indē, putas ?  
Percussus periit, dices, Aurelius. . . . Error.  
Disruptā serpens occidit ipse cute.*

*Ardebat flammis latè se expendentibus ædes :  
Antèque erat mulier flebilis atque gemens.  
Ebrius exclamat, propè qui titubabat, age, eia,  
Tu mulier plorans, nūm domus ista tua est ?  
Ista mea est. . . Ignis tuus ergo ? accendere quæso,  
Hunc tabaci calamum fas sit ab igne tuo.*

*Dùm pulsando infert aut austert follibus auram  
Clericus, et fundunt organa dulce-melos ;  
Dentibus infrendens in tractantem organa, clamat :  
En psalmum insufflo, cantat hic antiphonam !*

*Auri quidquid habet vorat aut bibt helluo magnus :  
Unum vestis habet globulum, trigintaque nasus.*

N.B.—C'est ici le lieu de corriger une erreur de copiste, ou une faute d'impression, qui s'est glissée dans une des inscriptions latines publiées dans le numéro d'Avril dernier. A la page 187, ligne 12e de la troisième inscription, pour *portam*, lisez *palmam*. Lisez aussi *inglorius*, au lieu d'*inglorious*, à la ligne 1ère de la première inscription.